

DEO DUCE.  
SPECIMEN ACADEMICUM,  
DE  
**PHYSICA MOSAICA  
COMENIANA,**

CUOD,  
Cum Consensu Ampliss. Facult. Philos. in Regia  
Academia Aboënsi,  
PRÆSIDE  
**DOCT. CAROLO FRID.  
MENNANDER,**

Hactenus Scient. Nat. jam S. S. Theol. PROFESS.  
Reg. & Ord. Reg. Acad. Scient. Svec. MEMBRO,

*Publice ventilandum sifit*

**ANDREAS LUNDBOM,**

*Vestro - Gotbur.*

Ad diem XVI. Junii, Anni MDCCCLIII.

In Auditorio Majori,  
horis ante meridiem convetis.

---

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc. Finland.  
JACOB MERCKELL.

*Amplissimo atque Celeberrimo VIRO;*

# DN. MAG. ALGOOTHO SCARIN,

*Historiarum & Philosophiae Civilis PROF. Reg. & Ord.*

*nec non*

*Bibliothecæ Acad. PRÆFECTO adcuratissimo.*

**MÆCENATI MAGNO.**

*I*llustrium, quæ Te, Amplissime D:ne Professor, ex-  
ornant virtutum & meritorum jubar sufficientem,  
magnus, sed pius tamen, occupavit timor, qui a proposito  
tenuem hunc ingenii fætum Tibi offerendi non semel me  
avocavit. Fluctuantem autem animum refollicavit mera  
benignitate spirans favoris Tui aura, qua fortunam  
meam durioribus fatis fractam & conquassatam per sex-  
ennium, & quod excurrit, fovere haud es designatus.  
In pignus itaque humillimæ venerationis, qua singula  
Tua in me collata beneficia prosequor, placidus excipias  
leves has pagellas, non nisi offerentis pietate commenda-  
biles. Cujus voti si compos fuerim, felicissimis me jure  
adnumerabo, & pro perenni Tuo Familiæque Tuæ  
Nobilissimæ flore, suspiria fundere calida non inter-  
mittam; permunsurus ad cineres usque

**NOMINIS TUI AMPLISSIMI,**

*Cliens humillimus,*

**ANDREAS LUNDBOM.**

KONGL. MAJ:TS

Tro Tienare och Capitaine,

Wälborne HERREN,

Herr GUSTAV LORENTS  
UGGLA.

KONGL. MAJ:TS

Tro Tienare och Häradshöfdinge,

Högädle HERREN,

Herr PETTER JUSLEÉN.

ET finne, som af vörtnad och tacksamhet för  
årtedd ynnest är intagit, önskar intet högre,  
än at offenteligen få öfverlämna något prof af sin  
skyldiga tilgivvenhet. De många välgierningar och  
den oforlikneliga ömhet, hvarmed J., Gunstige Her-  
rer, velat befrämja min välfärd, ifrån den första  
stund J anförtrodden Edra dyraste Egendomar, E-  
dra Kiära Barn, under min handledning och vårdande,  
förmår min staplande tunga ingalunda å daga lägga,  
eller uttolcka den vörtnad, hvarmed Eder god-  
het af mig ärkännes. Jag finner inga ord, som  
lifligen kunna affskilda antingen högden af Edor be-  
vågen-

vägenhet, eller diupheten af min vördnad. Dock tager jag min tilflyckt til Edert ädlå tanckesätt, som altid håller viljan god, änskiönt förmågan brister, samt anser en ringa pappers skänck, då den har sitt värde af gitvarens ödmiuka välmehing, för en värklig betalning. Uptagen altså, Högtbevägne Gynnare, dessa blad och denna förstling, såsom et ringa vedermäle af ett ödmiukt och tackamt sinne, som åger en ren vördnad til sin grund, och skal i beständighet tråtza sielfva obeständigheten. Med trägna suckar skal jag hos den Högsta Guden anhålla, Han ville i många år uppehålla Eder vid alskions välmåga här i tiden, samt sedan bekröna Eder med oforgängelighetenes Krono.

### MINE GUNSTIGE HERRARS

ödmiuke tienare,  
ANDERS LUNDBOM.

*Plurimum reverendo atque preclarissimo VIRO,  
DN. MAG. CONRADO QUENSEL,  
Pastori in Hvarf longe meritissimo,*

*Plurimum reverendo atque preclarissimo VIRO,  
DN MAG. ARVIDO AFZELIO,  
Pastori in Larf dignissimo.*

*Plurimum reverendo atque clarissimo VIRO,  
DN. JOHANNI TIMBERG,  
Pastori in Skarstad vigilantissimo.*

*Plurimum reverendo atque clarissimo VIRO,  
DN. JONÆ LUNDBORG,  
Comministro in Larf meritissimo.*

*Cumulata vestra, Patroni & Fautores propensissimi,  
in me meosque beneficia, sunt rationes, cur  
leve tirocinium hocce Nominibus Vestris consecrare non  
dubitaverim. Suscipiat is itaque loc gratissimæ mentis  
indictum connata vobis benignitate, promptaque obse-  
quia pio potius offerentis animo, quam tenui munuscu-  
lo metiamini. Vestram ipse vicissim vestrorumque in-  
columitatem Summo Numini seris precibus nunquam  
non commendabo.*

**Plur. Rev. atque clariss. NOMINUM VESTRORUM**

*cultor observantissimus,  
ANDREAS LUNDBOM.*

Doctrinæ morumque integritate præstantissimo  
JUVENI,

# Dn. ANDREÆ LUNDBOM,

Amico & populari in paucis dilecto.

אֵחֶה הָאָחִי יוֹרְדוּ חַשְׁלָבָן כִּי עַלְיוֹן הַגּוֹל לְעֵשָׂות  
עַמְּךָ חָסָר כְּפֻעַם בְּפֻעַם כְּשָׁפָן שְׂדוֹ רֹוח בִּינָה  
וְעַצָּח עַל בְּנֵי אָרוֹן נָטוּ לְךָ רַבִּים חֲלֹקָת וְאַתָּה  
הַוּלָּךְ וְגָדוֹל בְּרוֹכָה מְחַשְּׁבָת חַכְמָה שֶׁלְשָׁה פָּעָמִים  
עַל פָּנֵי כָּל חַבְרִיךְ וְהִיּוֹת לְעֵץ חַכְמָה הַשְׁתָּול בְּמִקְוָתָם  
טָהוֹר אֲשֶׁר יַצְמַח בֵּין חַצִּיר וּפְרִיוֹ וַיְתַן כַּעַתָּה וּמְעוֹדָם  
טָעַמוֹ מִיוֹן וּשְׁמַנוֹ מִתּוֹק מִגְּנָת צַוְּפִים עַל כֵּן שָׁוֵשָׁן  
אֲשִׁישׁ כְּמוֹצָא מִטְמָנוֹ גְּרוֹל פָּאָר וּשְׁמָחָה רַחוֹם בְּקָרְבֵּי  
כְּשָׁמָחָת בְּקָצֵר וְתַעֲלוֹנָה כְּלֹוֹתִי מַעַלְץ רְשָׁעִים בְּתַהַ  
חֲלֹקָת שְׁלָל וְעַתָּה חַנְן לְךָ דָוָרִי בְּכָל אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה  
וְשׁוֹיְתָן לְיַיְתָה תְּקוֹתָה לְבִי לְרָאוֹת עַל רַאֲשָׁה עַתְּרוֹת חַכְמָה  
כַּמְעַט יַפְתַּח הַאֵל אֲחָת אַרְכּוֹת חַשְׁמִים וַיּוֹרֵק לְךָ  
בְּרוֹכָה הַגְּרוֹלָה אַרְךְ יְמִים יְהִי כִּימְגַן וּכְשַׁמְּאַלְךְ  
עַשְׂרָה וּכְבוֹר לְעוֹלָם

*Amica manu adposuit,  
AND, ABRAH. HAGELBECK*

I. N. J.

§. I.

**U**T ab antiquissimis retro temporibus non defuerunt philosophi, quibus in elementa corporum inquirere volupe fuit; ita discrepantia opinionum, quas circa caput hoc physices iidem foverunt, latis superque demonstrat, illos parum omnino ad incrementa hujus scientiae, luxuriantis ingenii foetibus contulisse. Quamvis enim corpora in sensus nostros incurant, ortum tamen illorum ex primis staminibus explicare qui aggreditur, veritatem puto quam Democriti profundiori demeritam reperier. Natura, quæ Protei instar, varia sub imagine nos ludit, nunquam procos suos utcunque ambitiosos in secretiora sui admittit, nisi forte, ac ipsa velut invita, hoc fiat. Casu enim inopinato maxime insignes corporum proprietates fuere detectæ. Juxta corticem itaque in Physicis etiamnum subsistere cogimur, nec ullis experimentis, utlibet subtilissime institutis, quænam elementa corporum sint, ne dum quales proprieta-

A

tes

tes memorata stamina circumstent, aut qua ratione eadem in formationem compositorum suam collocent operam, detegere potuimus. Interim magna veteris illius physicæ pars circa principia corporum prima indaganda occupabatur, &, excogitatis plurimis opinionibus, illa res tuit multum agitata, sed parum omnino aut potius nihil illustrata. Ita Pythagoras certitudine mathematica inductus numeros eorumque harmoniam rerum naturalium esse principia docuit, & *άξει τῶν ἀπόνων οὐνάδα*, ceu in vita ejus perhibet Diogenes Laërtius. Plato ideas substituit, quas principia vocat æterna & incommutabilia, quibus Deum & materiam conjunxit. Epicurus, & ante illum Mochus Phœnicius atque Democritus, atomos rerum naturalium stamina constituerunt, ex quorum fortuito concursu omnia coalita hic existimavit. Secundum Zenonem & Chrysippum, cum sequaci Stoicorum turba, Deus & materia essent naturæ principium; & ipsum sub cothurno verborum heic latet Spinoziani systematis venenum. Quam legimus fuisse Zaretam Chaldeum opinionem, lucem & tenebras esse quasi patrem matremque omnium rerum, a Fluddianis somniis non est aliena. Empedocles quatuor mundi corpora minus composita, terram putta, aquam, aërem & ignem pro primis rerum agnovit principiis, addita tamen amicitia, qua copulentur, & discordia, qua dissideant, cui etiam in numero elementorum, adstipulatur Hippocrates, aliique varii. Heraclitus Ephesus ignem, Anaximenes aërem,

aerem, Thales Milesius aquam, quam sententiam post liminio revocasse constat Helmontium, aliosq; & hodie num habere magni nominis patronos, Phere ydes Syrus terram pro principio universaliter venditare. Hæc autem recentiusse sufficiat; nostrum enim jam non est, singulas singulorum opiniones evolvere, easdemq; ad rationis trutinam expendere. Non tamen plane transeunda est Aristotelis opinio, qua tria prima rerum principia, materiam, formam & privationem, admisit. Quamvis hæc sit æque incerta ac fundamento destituta, quam reliquæ illæ, imo illis etiam magis ridicula, cum nihil absurdius sit, quam constituere privationem principium rerum positivum, attamen perinde ac reliqua Pontificis hujus philosophici placita, per longum annorum decursum tanto excipiebantur hæc principia applausu, ut ab illis vel minimum dissentire animi vel ignorantis, vel ad res temere novandas proni, crederetur indicium. Interim, dum speculationibus unice indulgebant philolophi, palatiis suis tutæ satis habitabat natura.

## §. II.

**R**eratis demum literis naturæ etiam studio paullatim clarius lux accendebat. Et primo quidem fasces Aristotelis frangebantur, iugum ejus ex- cutiebatur, nugsque Scholasticis mittebatur nuntius. Diversis autem viis, antequam in experientiæ & rationis semitam inciderent, institerunt naturalis philosophiæ emendatores. Aliqui enim ipsi Aristoteli hac etiam in parte medicas adhibuerunt manus, & eum

prudentiorem, quam quidem fuit revera, nobis stirerunt. Alii consilia agitarunt irenica, & Aristotelicam philosophiam cum lectis aliis antiquioribus ad concordiam redigere allaborarunt. Aliqui harum quandam, quo in locum Aristotelicæ substitueretur, excitarunt & expoliverunt. Chemia etiam, quæ, ne in magis ab ignorantiae fratribus haberentur ejus cultores, clam aliquamdiu habitaverat, in publicum prodire ausa est, & physicam doctrinam ad tria illa vulgo decantata principia, salēm, sulphur & mercurium, redigere sicut sit, ex quibus omnia mixta corpora, velut elementis quibusdam, constarent. Et recte hi quidem, quod ferro igneque in naturæ penetralia viam sibi munire conati fuerunt. Interim illa, quæ invenisse principia sibi gratulabantur, nullo jure hoc nomen promerentur, cum sint ipsa composita. Quibus autem nulla harum corporum principia indagandi methodorum arrisit, iidem genuinam magis viam se subodoratos existimabant, dum ope vel Scripturæ Sacræ integræ, vel Scriptorum in specie Mosaicorum, tanquam filii cuiusdam Arisdnæi, ad vera corporum principia pervenientum esse docuerunt. Piores Philosophi Christiani, hi Molaici dicebantur.

**P**hysicorum autem Mosaicorum nomine nobis non veniunt illi inter gentiles poëtæ & philosophi, qui haud obscura habent Mosaicarum doctrinarum vestigia. Neque illorum taxamus sed potius summis pro-

prosequimur laudibus institutum, qui ea, quæ in Sa-  
 eris Scripturis sunt physicæ considerationis, exposue-  
 runt, & inde etiam solida pro divina origine Sacri  
 codicis argumenta eruerunt; cum variæ ibi claris-  
 simis verbis exhibeantur veritates naturales, illo,  
 quo consignabatur Scriptura, ævo omnes homines  
 latentes, & recentioris deum ætatis industria de-  
 tectæ, adeoque de omniscio auctore perhibentes te-  
 stimonia. Nec jam in censum nobis veniunt illi phi-  
 losophorum, qui de consentu Scripturæ cum suis  
 ratiociniis aut hypothesibus gloriantr, & Christianam  
 quandam philosophiam profiteri videntur; quique  
 nihil egerunt aliud, quam ut philosophiam, quam a  
 teneris hauterant ungviculis, ex Scriptura confir-  
 marent, quam tamen in alium haud raro detorle-  
 runt sensum. Ita secundum mentem Aristotelis nar-  
 rationem Mosis de creatione explicare voluit Job.  
 Zeisoldus, juxta Cartesii hypotheses Job. Amerpoël, &  
 ad corpuscularis philosophiae principia Edm. Dickin-  
 son. Neque Physicorum Motaicorum nomine insi-  
 gniti primorum Geneseos capitum interpretes, qui  
 vel nulla certa sequuntur principia, vel physicam A-  
 aristotelicam & vulgarem ad Motaica illa reducunt.  
 Ex his apparet, Lambertum etiam Daneum, Conr. Afra-  
 cum & Alstedium, loco illo, qui iis communiter a  
 Scriptoribus historiæ literariæ inter philosophos Mo-  
 taicos solet tribui, esse dimovendos. Res suas et-  
 iam sibi habere jubemus Geogoniarum scriptores,  
 qui hypothesis suarum cum Mote contentum e-  
 mendica-

mendicare cupiunt, & ad ingenii suis commenta eius flectunt narrationem. Missos porro lubenter facimus mysticos, theosophicos & hermeticos philosophos, qui somniis suis ex Kabbala, Chemicorum & Astrologorum scholis, & Platonica Pythagorica, que philosophia consarcinatis a Mose patrocinium querunt; sed suis se plerumque ita involvunt tenebris, ut naturae arcana potius occultare quam recludere videri queant. Maxima etiam illorum pars, qui spiritum mundi statuunt, non potest inter physicæ Mosaicæ patronos referri; sed removendi ab hoc ordine sunt non gentilium modo philosophi universo animam præficientes, verum etiam *Helmontius* una cum *Archeo* suo, *Morus* cum principio hylarchico, & alii plerique spiritus universalis assertores. Quamvis enim inter præcipuos Physicæ Mosaicæ characteres hic ipse sit, ut rebus naturalibus spiritus quidam universalis a Deo creatus tribuatur, non tamen solus ideam hujusmodi physicii absolvit, sed requiritur insuper, ut in reliquis etiam principiis suis pressius vestigiis Mosaicis inhæreat. Physicus itaque Mosaicus ille nobis est, qui in Scriptis Mosis & potissimum creationis historia, principia reperiri scientiae naturalis prima, adæquata & sufficientia contentit. Qui huic viæ philosophandi primus instituit, fuit *Johannes Amos Comenius*, cuius in sequentibus palmaria placita veniunt examini subjicienda. Quæ vero spectant *Jobannem Baijerum*, qui in ostio suo vel atrio nature technographice delineato vestigiis ejus plerumque

\* \* ) o ( \* \*

rumque inhæret, & quomodo is a Comenio non fa-  
tis expedita explicet, sufficienter in *Polyhist.* *Pbil.*  
*Libr. II. part. I. cap. III. Marhofius* exposuit.

§. IV.

**E**st hic idem ille Comenius, qui editis variis o-  
peribus didacticis de Scholis præclare est meri-  
tus, & cuius historia fratrum Bohemorum omnibus  
est nota. Hic ad philosophica etiam animum adje-  
cit, & in eam ingressus est sententiam, cum cete-  
ris philosophiæ partibus in primis physicam ex Scri-  
ptura Sacra esse emendandam. Hinc in ipso *Panso-*  
*phie* iux<sup>a</sup> prodromo principia pantophica constituit sen-  
tum, rationem & fidem revelationibus divinis ad-  
hibendam, gentilitiæ vero & profanæ sapientiæ, tan-  
quam meretriciis lenociniis, graviter irascitur, &  
disciplinæ Christianæ omnem philosophiam subiicien-  
dam esse jubet; in gravioribus potissimum philoso-  
phicis materiis semper superaddendam Scripturæ Sa-  
crae auctoritatem, tanquam oris Dei attestationem.  
In *Physice* vero ad lumen Divinum reformatæ *Synopsi* ple-  
nius hoc institutum, physicam præcipue quod spe-  
ctat, perlequitur; & in ejus præfatione tres sibi con-  
stituit philosophandi regulas I. veram, genuinam pla-  
nisque philosophandi rationem hanc unam esse,  
ut e sentiu, ratione, Scriptura hauriantur omnia. II.  
Philosophiam peripateticam Christianis non solum  
inutilem, sed &, citra correctionem & perfectio-  
nem, noxiā esse. III. Reformari philosophiam pos-  
se per omnium, quæ sunt & sunt, ad sentum, ra-  
tionem

tionem & Scripturam harmonicam reductionem. Hæc enim tria cognitionis principia conjungenda plane, & corrigendam præcedentem a subsequentे, si quis veram rerum desiderat cognitionem, contendit. Is enim, inquit, qui ducem sensum tantummodo sequi volet, supra vulgus nunquam sapiet. Is contra, qui abstracta speculando, rationem solam sine sensu teste consulet, in phantasmata mera abreptus novum sibi creabit mundum. Qui denique Scripturæ soli, sensu & ratione non auditis, attendunt, illi aut mundum, ob conceptuum sublimitatem, prætervehuntur, aut res non intellectas carbonaria fide involvunt. Objectioni vero, quod Scriptura Sacra non sit ad philosophiam trahenda, cum non externorum speculationem, sed vitæ æternæ viam doceat, ita responderet, ut largiatur, hunc esse Scripturæ ultimum finem; sed dari simul contendit, etiam in humanis, unius rei plures plerumque fines, adeoq; multo magis in divinis, ubi totam se vix per vestigabili nobis artificio complicavit adorandi Dei nostri sapientia. Cum itaque per totam naturam id artificii deprehendamus, ut quælibet creatura, creaturæque pars, & partis particula, pluribus serviat usibus, hunc summæ sapientiæ characterem divino neutiquam codici detrahendum judicat, sed omnino esse statuendum, exstare in hoc Sacro sancto libro omnium, ad quæ sensus & ratio non sufficiebant, & scire tamen nostra interest, sufficientissima complementa. Varia denique dicta Scripturæ, ut Deut.

IV: 6. Pl. CXIX: 99. &c. ubi ex verbo Dei veram haurire sapientiam jubemur, ad hæc aslerta stabilienda adducit. Deinde ipsam physicam, immemor ordinis a se in præfatione constituti, ut in naturalibus a sensu incipiamus, in revelatione desinamus, auspicatur expositione primorum versuum Cap. I. Geneseos, ex quibus tria corporum principia, *MATERIAM, SPIRITUM & LUCEM*, eruere satagit. (\*) Hæc enim tria primo die producta veluti tres ingentes sed rudes massas considerat, ex quibus postea, varie deductis, variæ creaturarum species prodierint. Esset vero materia principium mere passivum, lux mere activum, spiritus denique anceps; respectu materiae nimirum activum, lucis autem passivum. Materia quoque ipsi dicitur primum in mundo ens, spiritus primum vivens, lux primum movens; atque ita omne mundi corpus esset è materia, per lucem, in spiritu.

B

§. V.

---

(\*) Multum sibi trichotomia tua ubique placet Comenius, hinc in Prodromo pantophiæ p. 87. inquit: *Hoc peculiare atque adeo mirabile occurrit in methodo nostra, quod omnes rerum solenniores divisiones per trichotomiam sunt, id quod protestor non superstitione aliqua mibi affectate questionum, sed in precipuis quibusque momenti<sup>q</sup> maxi- mi rebus, a primis usque rerum attributis, uno, vero, bono, ita se ultro obtulisse, ut attonitus aliquamdiu harerem, rei novitate stupefactus. Cumque idem alibi, exemplis jam erectus tentarem, ubique procedere vidi. Non igitur ausus*

## §. V.

**S**unt quidem in his varia laudi omnino Come-  
nio ducenda, quæque ostendunt, illum plura  
vidisse, quam illo adhuc ævo viderunt plerique.  
Cordate enim suadet, esse jugum philosophiæ scho-  
lasticæ excutiendum, & ex lensu, ratione atque scri-  
ptura, qui sunt genuini illi cognitionis humanæ fon-  
tes, eruditionem omnem hauriendam, atque ratio-  
nem sub scripturæ obsequio captivandam. Varia  
præterea recte & salubriter monuit (\*); quam-  
vis supervacua etiam, nec in usum facile ducen-  
da iis admisceat. Dum vero conjungendam in  
philosophando semper vult cum sensu & ratione  
revelationem, dum in scripturis sacris non sapi-  
entiam

---

fui rerum veritati ita plerumque trino mysterio sese repre-  
sentanti resistere, latabundus potius tantam sacri ternarii  
harmoniam amplexus, in reliquis etiam cupide sum prose-  
cuutus; nec usquam, firmiter credo, ulla rebus illata vi,  
sed quomodo sua sponte se findunt.

(\*) Ita methodum mathematicam etiam in aliis scientiis  
adhibendam voluit: Nempe ut omnia scibilia, sive sint natura-  
lia, sive moralia, sive artificialia, sive metaphysica, simili certi-  
tudine tradantur, qua apud Mathematicos demonstrationes pro-  
cedere videmus, ut dubitationi ne locus quidem relinquatur.  
Unde non solum ea, que sunt, evidenter & sine errore co-  
gnoscantur, sed & insuper cogitationum, ratiocinationum,  
inventionum infinitarum fontes recludantur. Pantophiæ  
prodr. pag. 41.

entiam modo ad animæ salutem necessariam exposi-  
ni, sed etiam philosophiam omnem, oīnnisque cognitio-  
nis humanæ sufficientissima complementa adesse  
contendit, ipsiusque scientiæ naturalis prima & ad-  
æquata principia, tum μεταβάσιν εἰς ἀλογόνος commit-  
tit, & sunt hæc omnino talia, quæ, ad confunden-  
da diversissima illa rationis & revelationis lumina,  
& miscenda divinis humana, tendunt; atque scri-  
pturæ sacræ, ex inepta pietate, officium assigna-  
tur, cui neutquam destinata est, ut nimirum sci-  
entias philosophicas inde discamus. Quamvis enim  
utraque hæc lumina, rationis puta & revelationis,  
ab uno Patre luminum originem ducant, respectu  
tamen & cognoscendi principii & finis multum in-  
ter se differunt. Hinc, quæ ad rerum hujus mun-  
di cognitionem pertinent, cum illis, quibus salus  
hominum innititur æterna, neutquam licet confun-  
dere, sed suis limitibus distincta hæc sunt servanda.  
Illud quoque, quod in maximi momenti rebus, &  
in quibus cardo salutis humani generis vertitur, sup-  
peditat cognitionis nostræ supplementum & auctari-  
um revelatio, non pro philosophico aut rationi in-  
notescente est habendum, sed sacræ inspirationi a  
Deo factæ totum acceptum referendum. Eum in  
finem divinitus data nobis est scriptura, ut gra-  
tiæ simul & gloriæ, quæ dona sunt supra natu-  
ram, efficeremur participes. Hæc est illa sapientia,  
toto cœlo a Panæphilia Comeniana diversa, quam  
pandit nobis divinus codex. Hæc illa cognitio, quam

in locis citatis ex verbo divino haurire jubebantur Israëlitæ. Viam vero salutis in sacris oraculis ita revelavit nobis Deus, ut nemo esset, vel iudicio hebetior, vel viribus animoque infirmior, qui eam inde assequi non possit. Ipsorum mysteriorum, quæ ibi, summa & divina maiestate, revelantur maxima & incomprehensibilia, enarratio tamen fit simplici & aperto modo. Unde liquido apparet, systemata philosophica & reclusa naturæ adyta non esse ibi quærenda. Qui itaque omnium scientiarum principia in scriptura, putant esse recondita, reprehensionem magni Verulamii merito incurront: *Quemadmodum Theologiam in Philosophia querere perinde est, ac si vivos queras inter mortuos: ita Philosophiam in Theologia querere non aliud est, quam mortuos querere inter vivos.* Ex locis vero nonnullis scripturaræ, ubi data occasione mentio fit rerum aliquarum, ad scientias pertinentium, principia & systemata earum eruere velle, ineptus est conatus. Eadem ratione vel ex Homeri vel alterius cuiuscunque scriptoris dictis, argumenta quædam philosophica forte attingentibus, encyclopædiæ scientiarum philosophicarum condi possent, prout etiam constat, aliquos ingenti labore magnas ejusmodi egisse nugas. Nec ex historia creationis, quæ Theologicæ potius est considerationis, licet rem confidere de principiis & indole corporum jam creatorum & in ordinem redactorum. Sed examinemus breviter ipsa Comeniana principia, & apparebit, tantum abesse, ut mentem Mosis exprimant vel vera

ra sint, ut potius verbis scripruræ male intelle.  
Etis, & sensibus in eam illatis, originem suam de-  
beant.

## §. VI.

**A**ntequam vero ad principia visibilis hujus mun-  
di descendit Comenius, per cælum, quod in princí-  
pio creavisse dicitur DEus, Gen. I: 1. cœlum cœlo-  
rum cum angelis intelligendum esse jubet; nitens po-  
tissimum Job. XXXVIII: 7. ubi DEus testatur, cum  
terram fundaret, jam sibi adstitisse spectatores & lau-  
datores angelos. Sed quamvis intra hexaëmeron facta  
sit angelorum creatio, quod etiam a Mose fuit indica-  
tum, Gen. II: 2. quo tamen die fuerint creati,  
non potest ita apodictice determinari, sed ad conjectu-  
ras redeunt, quæ de hoc negotio proferri solent  
opiniones. Et si vel maxime pertelluris fundationem  
intelligatur prima illa, die secundo facta, neque tum  
angelorum creatio ita primo diei alligatur, quin ini-  
tio etiam secundi fieri potuerit. Et Ps. CIV. ubi ordi-  
ne recensentur opera sextidui, creatio angelorum ante  
fundationem quidem telluris, sed post divisionem  
aquarum, die secundo factam, collocatur, unde illam ad  
finem potius diei secundi vel initium tertii referen-  
dam esse colligi posset. Connexio etiam cœli & terre,  
quæ occurrit in primo hoc Geneeos versu, abunde  
ostendit, non agi heic de solis angelis & cœlo bea-  
torum; sed Mosen vel exhibere sumimam integræ crea-  
tionis historiæ in sequentibus exponendæ; vel etiam  
indis-  
cioM

indicare productionem rudis materiæ primo die imme-  
diata ex nihilo factam, ex qua, tanquam universi quod-  
am seminario, postea cœlum & terra, vel corpora o-  
mnia, prodierunt. Sed transeamus cum Comenio nostro ad  
mundi materialis principia. Primum horum esset ma-  
teria; quæ ipsi definitur substantia corpulenta, per  
se bruta & tenebricosa, corpora constituens. Hanc  
ex versu 2. eruere satagit, ubi dicitur terra fuisse ina-  
nis & informis, & tenebræ in superficie abyssi. Pri-  
mam vero haec materiam concipiendam vult ut infor-  
me quoddam & tenebricosum chaos, nulla sui parte  
cohærens, vel potius ut aternum quendam vaporem  
ceu fumum, ex nihilitatis abyssu, omnipotentiæ nu-  
tu emergentem. Hujus materiæ DEum tantam pro-  
duxisse massam asserit, quanta sufficiebat ad explendam  
creatam abyssum, h. e. spatiū illud vastum, pro-  
ductum in primo principio, in quo cœlum & terra lo-  
canda erant; eamque jam indissolubilem possidere  
cohærentiam, ut nulla parte discontinuari & vacuum  
relinqui spatium patiatur. Esset vero hæc materia  
non invisibilis modo & tenebricosa, sed etiam in-  
formis; apta tamen, sicut cera ad omne sigillum, ad  
omnem formam & figuram suscipiendam; eademque,  
ita ut ne quidquam ejus perire possit, per omnes for-  
mas duratione æterna. Vel ex primo jam hoc Come-  
niano principio, utcunque tenebricolo & atra nocte  
cincto, luce meridiana clarius apparet, ipsum dum  
Scyllam præternavigare voluit, in Charybdin incidisse,  
dumque ex iis, quæ de origine mundi tetigit magis  
Moses

Moles quam enarravit, principia scientiæ naturalis exsculpere conatur, sua in ejus historiam inferre & intrudere, eumque, dum studium pietatis & exaltandæ revelationis præ se fert, humana divinis miscere, & quidlibet figendi sibi asserere potestatem. Quæ enim heic de statu materiæ primæ vaporolo, de creatione spatii, de cohærentia materiæ & impossibilitate vacui, de æterna duratione materiæ, aliaque similia docet, aperte vel hypothetica, vel falsissima sunt; omnia vero adeo fundamento aliquo Molaiico destituta, ut Molen in physica hac Molaiça etiam accusa Democriti lucerna frustra quæras, utque a perjurii crimine liberandus sit Gundlingius, qui in *Hist. Phil. Mor.*, c. VII. juraturum se promittit, Molen non agnitorum esse, quæ ipsi dogmata ab istis hominibus attribuuntur.

### §. VII.

**A**lterum ipsius principium est spiritus, substantia quædam subtilis, per se viva, invisibilis & insensibilis, corpora inhabitans ac vegetans. Hoc spirituvitæ plenus eslet mundus univerlus, qui tele ubique per omnes materiæ partes insinuans, eam soveret, regeret, omnesque creaturas produceret, suam cuique inducendo formam. Hujus itaque ope omnium creaturarum actiones & passiones fieri contendit; datum enim ipsi esse, non modo inhabitare materiam, sed etiam per eam tele movere & agitare ad ejus conservationem, ideas quoque seu formas rerum par-

particulares custodire, cum unus idemque spiritus universi in multas postea particularitates iussu DEi fuerit deductus; & denique huic incumbet, formare sibi corpora, pro usu futuraruin operationum. Ita Pythagoræ, Platonis & Stoicorum de anima mundi commentum iterum in scenam reproducit, sed interpolatum, & ad quod palliandum Mosis auctoritate abutitur. Hac ususmodi enim animam mundi intelligendam vult per spiritum illum DEi, qui Gen. 1: 2. aquis incubuisse dicitur. Largitur quidem, Theologorum dicti loci, de persona spiritus sancti, consentientem esse interpretationem. Sed Comenius insignem absurditatem imo blasphemiam committi judicat, dum ita spiritus sancti persona miscetur creaturis. Et creatum quendam spiritum, qui mundi anima sit, heic indicari probare se valide posse credit, primo e scriptura, quæ testaretur, vim quandam DEi diffusam esse per totum mundum, omnia sustentantem & vivificantem, omniaque in omnibus operantem; quam & spiritum & animam vocat, & quidem aliquando spiritum DEi, aliquando spiritum creaturarum. Ex. gr. P̄sal. CIV: 29. 30. Job. XXVII: 3. XXXIII: 4. Ez. 3. XXXVII. 5. 9. 14. Job. XXXIV: 13. 14. Idem etiam e ratione & sensu se evicturum credit; egregio, scilicet! argumento, quod nimirum herbæ & animalia etiam sine semine e materia humida nascerentur. Unde itaque his, inquit, vita, si non a diffusa illa mundi anima? Quod vero haec a Moysi DEi spiritus appelletur, ejus rei triplicem dari posse rationem afferit. Fieri nimirum hoc propter

pter magnitudinem & excellentiam, eodem sensu,  
quo alibi montes Dei Pl. XXXVI: 7. arbores Jebore  
Pl. CIV: 16. & Ninive civitas Dei Jon. III: 3. dicun-  
tur. Deinde ideo, quia immediate a Deo fuisse  
productus hic universi spiritus; & denique, quod  
peculiare heic adfuisset spiritus sancti opus. Mate-  
riæ enim productionem Patri tribuit, lucis Filio,  
& virtutis hujus creaturis intusæ, Spiritui sancto.

## §. VIII.

**V**ocabulum spiritus vel **רוּחַ**, seorsim imprimis  
spectatum, varias in scriptura sacra sustinet si-  
gnificationes. Cum enim sensuum ope ad variarum  
rerum cognitionem perveniamus, & pauci homi-  
num didicerint abstractionibus mentalibus uti ad  
formandas ideas, inde factum est, tam apud Hebræ-  
os quam alias gentes, ut quæ sensus fugiunt sim-  
plicia sensuali tamen charactere imaginationi exhi-  
beantur, & eorum a re ejusmodi corporea, quæ  
ad rei simplicis naturam exprimendam accedere vi-  
detur, ducatur denominatio. Hinc spiritus vocabulum  
non modo adhibetur ad significandam substantiam  
quamvis immaterialem, prout materiali & corporeo  
opponitur, sed etiam corpora subtiliora & simplicio-  
ra, quod nostrum fugiant visum, vel ob aliquam  
activitatis analogiam. Ita aér & ventus spiritus no-  
mine veniunt, Gen. VIII: 1. Cum itaque tanta sit vo-  
cis spiritus in sensu differentia, notiones divergas  
cum illa conjunxerunt interpres, atque inde in  
varias de hujus etiam loci sensu, sunt distracti opi-  
niones.

C

niones. Ita multi Rabbinorum ventum elementarem heic intelligendum volunt, cuius ope particulæ humidæ a siccis tuerint separatæ; Johannes Alba autem, Hispanus, solem per spiritum aquis inebantem intelligendum putat. oportet autem hos in eo statu fuisse constitutos, ut binas atmosphæras, binos in cœlo soles conspexerint, cum his effectus, antequam exstiterunt, tribuant. Nec Ianior est, vel refutationem meretur, aut Francisci Valesii sententia, quæ pro igne elementari hoc loco intelligendo pugnat; aut Cajetani, qui de angelis primum mobile rotaturis heic sermonem esse somniat. Sublimiora, quam hi ipsi, procul dubio sibi vilus est molimina meditari Comenius, dum spiritum mundi vitalem hinc educere fatagit. Sed sunt & hæc ita comparata, ut vulgarem perspicaciam non fugiat eorundem falsitas. Nulla enim allegari potest ratio, cur de principio aliquo secundario ea intelligenda sint, quæ de primario recte possunt explicari. Et si, per motitationem spiritus Dei, heic intelligendus esset spiritus mundi, lacuna laboraret historia Mosaica, quæ tum primum motorem DEum alto involvisset silentio; quod tamen fuisset scopo ipsius maxime contrarium, cum ex tota serie patescat, illum in eo occupatum fuisse, ut principia naturalistarum convelleret, omniumque rerum originem ac formationem DEO vindicaret. Dum etiam spiritus hic illustri titulo dicitur נַחֲרָה, hoc indicio est, non de spiritu aliquo finito & creato esse sermonem. Quam-

vis enim largiamur Comenio, nomina quædam  
divina aliquoties in sacro codice tribui rebus creatis,  
amplitudine & excellentia præstantibus, idem tamen  
heic non obtingit. Res enim, de quibus in illis lo-  
quendi formulis agitur, ejus sunt indolis, ut ipsi  
DEo inesse nequeant. Ex. gr. dum de montibus,  
arboribus, & civitatibus DEi, sermo fit. Sed spiri-  
tus vocabulum DEo eiusque essentiæ proprie com-  
petit. Ad significaciones vero vocum improprias  
descendere non licet, dum propriis potior est locus;  
multo minus decet verba Dei, quibus se suaque opera  
exprimit, in exiles & perverbos sensus detorquere. Vel  
ex his ipsis itaque dijudicare quisque facile poterit, an  
aburditatis & blasphemiae vitia, quæ genuinis interpre-  
tibus, qui spiritum sanctum, tertiam divinitatis per-  
sonam, hic intelligi contendunt, imputat Comenius,  
in ipsum recitant; cum divinæ omnipotentie opera  
mundi animæ adscribat, cumque sanctum Dei spiritum,  
cum mundi anima, veritatem cum fabula com-  
ponat. Ex emphasi etiam & genuino significatu  
vocis שְׁמָךְ, quæ non simplicem indicat mo-  
titationem, sed qualiter avis perficit, cum ovis ad  
excludendum pullos incubat, ostendere solent in-  
terpretes, indicari heic vim spiritus sancti totricem,  
ex ruditate omnia formantis, & illum fuisse omni-  
potentem spiritum, qui vi sua fabricatoria & effectoria ad  
productionem rerum omnium aquas, adeoque cœlum & ter-  
ram, forit quasi & idoneas reddidit; ceu loquitur in  
Philol. S. Glassius. Ipsa denique indoles & conditio,

uti tum erat, massæ illius primævæ, forma nimirum & ornatu omni carentis, liquido ostendit, majorem requiri virtutem, vim & efficaciam, ad eam separandam, formandam & disponendam, quam spiritus alicujus finiti. Quæ vero præterea adducit Comenius argumenta e Scriptura, ad stabiliendam spiritus mundi existentiam, sententiam ejus potius evertunt quam confirmant. Vis enim, quæ dicitur universo inesse, & cuius ope partium ejus contentus, ordo, duratio & motus conservatur, non arguit præsentiam animæ, sed a provida ipsius Dei cura est, vires agendi in rerum principio corporibus concessas conservante & dirigente; & loca citata partim de spiritu Dei infinito, cui omnium creatio & conservatio competit, partim de anima & vita hominum animaliumque sunt accipienda. Si itaque olim error *Origenis* ex Platone haustus, de anima cœli, in lynodo Constantinopolitana quinta a *Justiniano* imperatore coacta, anathemate fuit notatus, testante *Nicephoro*; hæc de anima mundi sententia utique cenuram merebitur, quæ & sanæ philosophiæ repugnat, & Christianæ doctrinæ non uni capiti derogat.

## §. IX.

**S**ed ipse etiam Comenius videtur hanc, quam effinxit, animam mundi otiosam fere constituere, ejusque agendi virtuti diffidere, cum per integrum physicam vix ulla recurrat ejus mentio, antequam ad corpora organica fit de centus. Contradictionibus præterea in hoc negotio semet implicat, dum, e. gr.

gr. uno in loco mundi spiritum respectu lucis vel  
ignis mere passivum constituit; alio vero huic uni-  
versi animæ vel naturæ fabro, quæ similitudo est  
eius, ad emolliendam & variis usibus præparandam  
materiam igne opus esse judicat; adeoque lucem, quam  
prius respectu spiritus principium activum constitue-  
rat, jam instrumenti vice fungi jubet. Adebat heic  
tertium corporum principium Comenianum, indigitum,  
ceu putat, Gen. I. 3 lux nimirum vel ignis, quæ ipsi  
sunt æquipollentia; quamvis in rerum natura non  
æque sint synonymica, nec comites semper ire sole-  
ant indivulsi. Est vero lux, secundum ipsum, sub-  
stantia per se visibilis & mobilis lucida, materiam  
penetrans, eamque recipiendis spiritibus præparans,  
atque ita corpora efformans. Primæva vero lux  
nihil fuisse aliud, quam splendor vel flamma ingens  
in materiam tenebricosam immissa. Terna luci  
competeret virtus, lumen videlicet, motus & calor,  
quarum ope introducta fuisse in mundum contrarie-  
tas, & uade omnis eius esset dispositio & ornatus.  
Lucem vero motum suum non explicare sursum & de-  
orsum contendit, tum enim terminum illum mox  
inventurum credit; hinc factum esse, ut agat se lux  
semper in gyrum. Calori lucis id adscribit, quod,  
materia in sublimi rarefciente, coactæ fuerint crassio-  
res materiae partes deorum ruere, & in medio uni-  
versi se conglobare, unde aqua & terra habuissent ini-  
tium, & elementorum divisio prodiisset. Hunc autem  
lucis effectum indicari afferit per expansum secun-  
D di

di diei; nimirum lucem tum expandisse materiam, & a calore ejus colliquescentes ac fugientes materia spissioris partes constituisse aquas superiores, ut sint terminus mundi visibilis, & inferiores, ut essent materia aliis creaturis producendis apta, sub quibus lutum vel sedimentum confluxisset. Et agit quidem Moses l. c. de lucis ortu, vel a materia illa opaca segregatione. Missos enim facimus illos, qui hic lucis nomine vel angelos adeoque mundum ventrī, aut corpus igneum sole producto iterum destructum, aut aliud quid intelligendum existimant. Impia vero est & divinæ scripturarum origini in os contradicens Th. Burnetii sententia, qua contendit, Moses in usu & heic & alibi esse, potius impingere in philosophiam, quam in opiniones & captum vulgi; adeoque, quo populo sua probaret, contra rei veritatem incipere a luce, ne videretur Deus per triduum in tenebris operari. De lucis inquam origine & productione agunt verba hæc Mosaica, idque summa stili gravitate & maiestate, ab ethnico etiam rhetore, Longino, animadversa. Sed quod lux sit corporum naturalium principium, id ne unico quidem apice divinus scriptor indicat, multo minus id agit, ut lucis & ignis indolem exponat, quam philosophis explicandam lubenter reliquit, qui hodienum factentur, post adhibitam multam sagacitatem & industriam, illum manere magna sui parte incognitam. Minime vero omnium Moses ea, quæ luci tribuit prædicata Comenius, illi adjudicat; quorum pars ab ipso jam fuerat spiritui mundi assignata, alia pars est falsissima. Ex. gr. quod lux, idque ob metum quasi termini ab aquis superioribus imminentis, se semper in gyrum agat, quodque lucis actioni divisio elementorum & expansi ipsius ortus debeatur. Convenientissime autem & verissime per hoc expansum Mosaicum intelligitur aëris regio, & diaχώρημα inter aquas ope atmosphæræ & superioris circuli constitutum. Lux itaque hæc Comeniana, quamvis tan-

tum absit, ut Mosaicam doctrinam aut rerum naturalium principia conspicienda præbeat, ut potius cimmeriis tenebris eadem involvat; eo tamen conducit, ut evidentissimum reddat, Comenium non Mosis, sed suis insistere vestigiis, & loco theatri naturæ nobis campum aperire spectorum, nullibi, quam in imaginatione cerebri sui, existentium.

## §. X.

**E**X his tamen trinis principiis omnium corporum dotes, facultates & operationes derivare in se suscipit Comenius. Sed promissis non stat, in vulgarem & peripateticam philosophandi viam circa pleraque & tantum non omnia deflectens. Hinc illico cum suis conciliare principiis annititur non modo notissima illa Scholasticorum elementa, eaque materiæ mundanæ certas species constituit, densitatis & raritatis gradu inter se potissimum distinctas; sed gratiam quoque chymicorum acupatur, quorum decantata principia e combinatione primorum illorum a se constitutorum immediate fluere asserit, ita ut spiritus cum materia conjunctus respondeat Mercurio vel corporum aquositati; spiritus cum luce combinatus, eorum consistentiæ vel Sali; Sulphur denique ex materiæ & ignis coniunctione, originem duceret. Et hæc quidem sunt, in quibus facile fidem adjicimus Comenio; esse nimirum illius philosophemata, licet aliquantulum immutata, pietatis peplo audacissime cohonestata, diviniorisque sapientiæ augusto sed falsissime jaetato titulo insignita, a vulgaribus istis mutuo accepta, &, in scenam iterum producta; unde sequitur, hæc non posse magis referre Mosaicam doctrinam, quam refert physica vel Peripatetica vel Paracelsistica. Est hoc idem in caussa, cur opera non ducamus pretium, ad specialia physices Comenanæ descendere, quod etiam prolixum nimis esset, & ab instituto nostro alienum.

Non

Non tamen plane intactam præterire decet ejus de homine philosophiam, quem ex tribus partibus componi docet, corpore, spiritu & anima. Spiritus humanus a mundi esset spiritu, nobis cum brutis communis; sed anima vel mens ex Deo. Non quod ex nihilo, tanquam novum ens, creata esset; sed & hæc ex præexistente spiritu mundi suis sit formata, & spiritui animali in homine nova soluimodo addita perfectio, ut uno gradu anima brutorum fiat superior. An vero in his adsit aliqua convenientia cum monadibus recentiorum, vi representativa universi gaudentibus, & in gradu perfectionis hujus representationis inter se differentibus, alii, quibus otium est, dispiciunt. Comenius hoc pacto nodum de ortu animalium facilime posse solvi credit; radicem nimis animæ, spiritum vitalem & animalem, utique ex traduce esse, formationem vero ejus in spiritum mentalem Deo esse tribuendam, ad hoc opus, non extraordinarie tamen aut miraculose, concurrenti. Cum vero his patrocinium ex Mose nullum invenire queat, qui contraria omnia manifeste docet, physicus noster Mosaicus repente fit Paulinus, & ad auctoritatem Apostoli, I. Thess. V. 23. & I. Cor. XIV. 14. qua tres has hominis partes stabiliri contendit, provocat. Sed priori loco per τὸ πνεῦμα dona spiritualia regenitorum intelligi, posteriorem vero nihil ad rem hanc facere, contra Paracelsum, Helmontium et fanaticos, qui eandem hoc in negotio cum Comenio inflant tibiam, disputantes genuini philologi solent ostendere. Sufficiunt abunde que jam sunt allata, ad ostendendum, Comenium, dum vult videri nova dicere, & ornatus solidiusque reliquis philosophari, vel eadem cum illis exhibere, vel ad fingendi & imaginandi facultatem, quam habuit per quam secundam, recurrere. Dum vero hæc pro Mosaicis venditat, & ingenii humani somnia revelationi subornat, in maxime noxiū & periculoso philosophandi genus incidit, & occasionem impietatis profanisque mentibus subministrans, cum ista philosophia ipsam simul revelationem & sacra mysteria contempnendi. Sed bene est, quod exigua admodum fortuna hæc philosophia naturalis fuerit gayisa. Nam cum Comenio & Bayero uno composta fuit tumulo. Quamvis enim sub initio hujus seculi viri quidam docti Halenses physicam hanc Mosaicam restituere fuerint aggressi, umbra tamen ejus verius fuit, quam tum in theatrum orbis eruditus prodibat, quam ipsa rediviva; festine enim disparuit, & eventu conamen destituebatur, abjicentibus ipsis brevi hæc consilia, cum procul dubio viderent, illis communitatis principiis ut.

*S. D. G.*

